



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm  
Christianarvm Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. XXV. Mors Claudii Imperatoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

cum cæteris expulsis, veniunt in Asiam, ibique co-  
harent Apostolo, ecclesiæ fundamenta jacenti.

## C A P. XXIV.

*Quæ Iudæis acciderint mala.*

Tunc vero Agrippa apud Hierosolymam regnante,  
procuratore vero provinciæ Felice, Claudio adhuc  
in imperio perdurante, tanta Iudæis accidentunt mala,  
ut ipsa die Paschæ seditione exorta, de his solis, qui  
in foribus ecclesiæ constipatione populi mortui sunt,  
triginta millia computentur, ubi & Ionathas pontifex  
interficitur. Ea tempestate Ægyptius quidam Ma-  
gus, & arte Magica simulans se esse prophetam, ex  
omni parte congregans Iudæos, promittens eis li-  
bertatem antiquam, & liberationem civitatis suæ, eo-  
rum auxilio fretus, per desertum venit usque ad mon-  
tem Oliveti. Sed conatus ejus prævenit Felix, &, con-  
gressione facta cum armis, Ægyptium quidem fugat,  
alios vero vel perimit, vel capit, usque ad triginta  
octo millia virorum.

## C A P. XXV.

*Mors Claudii Imperatoris.*

Intraea Claudio tredecim annis & octo mensibus  
functo imperio, Nero suscipit principatum. Hic Fe-  
stum mittit in Iudæam, ut succedat Felici, apud quem  
Paulus causa dicta vincitus Romam mittitur, Aristarcho  
comitante, & biennium in libera manet custodia. Post  
hoc ad prædicandum dimittitur, nondum Nerone in

C 2

tanta

tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant Historiæ: sed adhuc, dispensatione divina, clementius agente, ut interim completeretur prædicatio Pauli, & scriberentur ejus Epistolæ, vel ad personas, vel ad capita provinciarum: vel ad fidei soliditatem, vel ad decorum Evangelii, denique ad totius ecclesiæ utilitatem.

## C A P. XXVI.

*De martyrio Iacobi, fratri Domini.*

Igitur post Paulum Roman transmissum, videntes Iudei, frustratas esse insidias, quas ei intenderant, ad Jacobum fratrem Domini & Hierosolymorum Episcopum, convertuntur ad vindicandum. Tunc expetunt ab eo abnegationem Christi. At ille libera voce, coram omni populo, Christum esse filium Dei confitetur. Tunc de pinna Templi dejectus ab impiis Iudeis, orans super genua sua, etiam pro lapidantibus, tandem fullonis vecte percussus occubuit, xxx. episcopatus sui anno. Clemens. Fuit autem ex utero matris suæ sanctus, vinum & siceram non bibt, animal non manducavit; ferrum caput ejus non ascendit; oleo non est perunctus; balneo non est usus; nec laneo in dumento indutus, sed tantum syndone. Huic soli licebat introire in Sanctum Sanctorum, ubi genua fletendo incessanter orabat, adeo ut ad modum came li callos faceret in genibus. Qui pro incredibili continentia vita, & justitia summa, appellatus est *Oblias*, id est,